

ceis, qui deferant vasculum Aquae Benedictae, aspergillum, et thuribulum, cum incensi navicula, et hoc Rituali libro, et tribus Candelis cereis, procedit ad Coemeterium benedicendum ante Crucem in mediopositam, et affiguntur, et accenduntur tres Candelae super ligneum pagillum, et Sacerdos ante Crucem, et Candelas, stans discooperto capite, dicit: *Oremus, etc.*

24 De Paramentis, eorum qualitate, et coloribus, eadem omnino dicenda sunt, quae a novis exposita fuere in *Benedictione novae Ecclesiae*. Neque hic aliud addendum est, cum pari passu omnia procedant. Pariter de Aqua benedicta, de Incenso, de Ministris, eadem legenda sunt alias enunciata in dicta Benedictione: quod superest, et novam requirit indaginem est prout intra.

25 Haec Benedictio fit *Mane*, non eo quia celebranda sit Missa; sed quia Coemeterium habet relationem ad Ecclesiam: sicuti enim Benedictio Ecclesiae mane fit, ita quoque fieri debet in Benedictione Coemeterii, per ea, quae supra diximus in explicatione §. 1. hujusmet Tituli.

26 Quando Rubricae dicit: *In Sacristia paratus*, supponit Coemeterium esse Ecclesiae contiguum, ut regulariter esse solet, ex quo, pace Ecclesiae data, intra Urbes, ad Templorum limina, fidelium corpora sepeliri coeperunt tempore Constantini Imperatoris, ut refert Panvinus in *lib. de sepeliendis mortuis*, quem refert Piguatell. *T. 5. cons. 59. n. 34.* Sed non per hoc sequitur, quod omnia Coemeteria proxima sint alicui Ecclesiae de necessitate; nam possunt esse aliquantulum ab illis remota ad foetorem evitandum, Lavor *Elucubr. tit. 2. c. 8. num. 3.* quae distantia tamen limitatur ab eodem, *tit. 2. c. 5. num. 103* ad quadraginta passus, vel saltem triginta, *ex cap. sicut antiquitus 17. q. 4.*

27 In tali casu, ut evitetur incommodum, si distantia Ministros aggravaret, possent omnia parari in viciniore loco decenti si adsit, vel si non adsit, construendus erit locus congruus, et decenter ornatus, ut in eo Ministri, et res in Benedictione adhibendae parentur, quemadmodum fit in benedicendo, et ponendo novo lapide, *ex Pontifi. Rom.*

28 Aspergillum consuetum statuit Rubrica, non vero ex herba Hyssopo confectum: sed in praxi vidi eandem herbam adhiberi; unde cum sit par ratio inter Benedictionem Ecclesiae, et Benedictionem Coemeterii, non video cur hic pariter non sit adhibenda haec Hyssopus, eo magis quia etiam hic pronunciantur verba Psalmi, *Asperges me Hyssopo, etc.*

29 Hic ritualis liber denique paratus esse debet, ut rite, et recte, de more Ecclesiae Romanae fiat haec Benedictio, nec aliquid superaddatur, neve imminuatur. Arcentur itaque omnes alii libri, qui Ritus Benedictionum statuunt, qui a Romana Ecclesia approbati non sint, et vulgati, prout sunt nonnulli, qui in nonnullis libellis manualibus cum novis orationibus insertis leguntur, qui licet pietatem redoleant, attamen a more Romanae Ecclesiae discedunt.

30 31 Accenduntur hoc tempore tres Candelae Paxillo infixae in ejus tribus ramis, quia hic vere incipit Benedictio in nomine Sanctissimae Trinitatis. Lumen insuper trinum est, quia per trinam Benedictionem signo Crucis factam, prout in Oratione, locus ille in Coemeterium designatur, purgatur, et sanctificatur.

§. III. Mox ante ipsam Crucem omnes genibus flexis dicunt Litanias ordinarias, incipiente Cantore, caeteris respondentibus: Et cum dictum fuerit: *Ut omnibus fidelibus defunctis, etc. Te rogamus, etc.* Sacerdos surgit, et clara voce dicit, producens manu signum Crucis: *Ut hoc Coemeterium, etc.* Deinde Sacerdos, ut prius, genuflectit, et Litaniae perficiuntur.

32 Haec omnia fiunt in Benedictione novae Ecclesiae, atque ita explicantur in illo loco ad suum Titulum, Castald. tantummodo monet *l. 2. sect. 11. c. 7. n. 1.* in terra debere sterni Tapetum, ubi Sacerdos, ac ministri genuflectant, cum sit in loco aperto, et vel coenoso, vel pulverulento, vel herboso.

§. IV. Quibus finitis, surgunt omnes, et Sacerdos Crucem aspergit Aqua benedicta, dicens Antiphonam: *Asperges me, etc.* Psalm. *Miserere, etc.* dicitur totus ab astantibus cum *Gloria, etc.* quo dicto, repetitur Antiphona:

33 Prima aspersio fit super Crucem, quae ibi pro signo futurae loci sanctitatis ponitur; et tunc Mysterium novae Legis a sanguine Christi in Cruce consecratae exprimitur. Tota item Psalmus *Miserere, etc.* recitatur, ut tempus sufficiat cir-



cumeundi Coemeterium, et illud in interiori parte benedicendi, et aspergendi.

§. V. Dum dicitur Psalmus, Sacerdos circuit, et perambulatur totum Coemeterium, incipiens ad ejus dexteram, aspergens ubique Aqua benedicta: quo sancto, redit ante Crucem, et ad ipsam respiciens, dicit etc.

34 35 36 Quamvis, ut supra dictum est, pari passu veniat ratio Ecclesiae, et ratio Coemeterii in illis benedicendis: attamen in hoc differunt, quod Ecclesia benedicitur Aqua sanctificata, intus, et extra; Coemeterium vero aspergitur tantummodo intra, seu in parte interiori; unde oritur quaestio: An muri exteriores Coemeterii censeantur benedicti, et consequenter; An qui illis adhaeret, gaudeat immunitate Ecclesiastica? quod videtur resolvendum negative, ex quo muri extra non benedicuntur quemadmodum illi Ecclesiae, nec habent stillicidium, prout habet Ecclesia, quod stillicidium plures immune declaratum est per *S. C. Immunitatis*. Attamen ratio, at opinio contraria sustineri potest, eo quia ista aspersio materialis suam virtutem accipit spiritualiter, et totum comprehensorum facit sanctum, adeout pari passu ambulet cum Ecclesia etiam circa immunitatem. Anaclet. *Decr. lib. 9. tit. 49. §. 1. n. 11*, Sed Ecclesiae moenia etiam extra Ecclesiam causant immunitatem; ergo quoque Coemeteria, licet non ab extra aspersa Aquae lustrali, Passerint. *l. c. Fulc. de Visit. l. 1. c. 12. n. 7. Piasec. Prae. Ep. p. 1. c. 5. n. 6. et alii.*

Crucem respicit Sacerdos expleta Benedictione, ut a signo humanae Redemptionis auspiciis sumat pro collecta Benedictione, et propterea Animae illorum, qui in illis Coemeteriis sepeliendi sunt, fructum ejusdem Redemptionis per sanguinem Christi in Cruce effusum recipiant.

§. VI. Tunc figit in summitate Crucis unam ex tribus Candelis ardentibus, et alias duas similiter ardentes in duobus brachiis ejusdem Crucis. Deinde incensat ipsam Crucem, et aspergens Aqua benedicta, redit cum Ministris in Sacristiam.

28 Summa totius Benedictionis est, ut lux aeterna luceat Animabus Defunctorum, qui in illo loco sepeliendi sunt. Per

lumen igitur Candelarum in summitate, et brachiis Crucis fixarum, fit, ut fides Resurrectionis vigeat, et lumen aeternae vitae in illis resplendeat per meritum Christi in Cruce passi.

39 Transferuntur insuper Candelae accensae a Paxillo, in quo erant fixae, et Cruci traduntur, ut demonstratur, cessasse legis Mosaicae candelabra, atque extincta esse; quorum vice, lumen Christi ad revelationem Gentium in Ecclesia surrexit, quo Animae Fidelium in spe futurae Resurrectionis obdormiunt.

40 Incensatur quoque Crux, et aspergitur Aqua benedicta, ut perfecte sanctificata remaneat, atque ut arceantur omnes diabolicae, insidiae ab illo loco: nec extinguuntur cerèi accensi, donec totaliter absumantur, ut ita edoceamur, venerationem loci perpetuo durare debere, nec ab ulla humana vi posse extinguui. Vide quae, alibi diximus de Incensatione, et de cereis luminibus.

*[Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including a list of numbers 1-18.]*